



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

In Lvcæ Cap. 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

## IN LVCAE CAP. 4.

16. Intravit secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere.

**A**RIPIT hic occasionem Caluinus (vt nullam prætermittere soler) Catholicae toto orbe Ecclesiam taxandi. Quum enim ex hoc loco appareat in singulis sabbatis, quibus dies Dominica successit, Scripturas legi in Synagogis & exponi solitas fuisse, hanc adnotationem apponit Caluinus, non vt diuinā Scripturam (quod profitetur) exponat, sed vt suo stomacho malevolentiae pleno indulgeat. *Iam si temporum fiat comparatio, facile vel ex praesenti loco constabit, fædiores hodie & magis deformes esse Papalis hierarchie corruptelas, quam apud Iudeos sub Anna & Caipha fuerunt.* Nam Scripturæ lectio que tunc vigebat, non modò sub Papa obsoleuit, sed ferro & igni à templis arcetur: nisi quod lingua incognita, quod visum est, in ludibrium cantillant. Hæc ille. Primū peregriegè mentitur dum amplificatione rhetorica vñsus, Scripturarum lectionem ex Ecclesijs Catholicis ferro & igni arceri declamat. Tamen si enim in templis Catholicorum ante hoc schisma exortū, dormientibus Pastoribus, rario aliquid fuerit verbi prædicatio, illā tamen interdictam aliquando fuisse ne fieret, nullus hereticus docere potest, multo minus eam ferro & igni prohibitam & abactam fuisse. Deinde rario illa prædicatio verbi in diebus Dominicis, non omnium templorum fuit, nec in omnibus provincijs, sed quorundam, & in quibusdam: quæ sane nunc omnes huius negligentiae pœnam satis

Kk acer-

Prædicatio  
verbi  
rario su-  
pra mo-  
dum  
taxata.

acerbam luerunt : grassantibus & præualentibus  
hac maximè de causa tot hodie sectis & hæresi-  
bus ; quæ legitimis electis Pastoribus , lupis rapa-  
cibus omnia implenerunt. Deinde quid tandem,  
**Pastorum**  
**negligen-**  
**tia** quid  
**succes-**  
**serit.**  
obsecro, in hanc Pastorum negligentia successit ?  
Primùm diuini verbi ab hominibus indoctis , au-  
dacibus, spurcis ac libidinosis , nulla vel authori-  
tate , vel pietate , vel solida eruditione præditis,  
fœda depravatio , & venenata tractatio . Satius  
autem esset nullo pane vesci quam venenato ; ma-  
ximè iam aliquo modo saturis , & bene pastis:  
quum hoc presens exitium adferat , illo tantisper  
carere natura possit. Quum iam alta Ecclesiæ  
pax esset , omniumque Christianorum vox una ,  
& labium unum , una mens , unum cor creden-  
tium omnium , fides simplex ab Apostolo lauda-  
ta , tam accurata & frequentes verbi Dei expli-  
cationes adeò necessariae non erant ; quum suo  
quasi succo acceptæ à maioriibus fidei , cui indubi-  
tanter adhærebant , fideles vicitarent ; & ipsa to-  
tius vitae simplicitas atque integritas adhortatio-  
nibus ac stimulis adeò frequentibus minus indi-  
geret. Demus tamen , quod omnino negari non  
debet , magnam fuisse Pastorum negligentiam :  
quid nunc noui isti magistri attulerunt ? Singulis  
(inquiunt) Dominicis diebus Scriptura legitur , non lingua  
incognita (hoc enim Calvinum offendit , quum illa  
lectio non ad populi doctrinam sed ad invocatio-  
nem , quam totius populi nomine Pastor facit ,  
pertineat sed vulgari & quam omnes intelligent. Verba  
quidem omnes fortasse intelligunt : sensum autem  
quotusquisq; tandem ex rudi populo intelligeret.  
Imò absurdissimos sensus sibi plerique confin-  
gut , eosque contra suos Ministros audacter tuen-  
tur. Atqui accedit explicatio & verbi prædicatio .

Illa

Illa sanè in inicio feruebat, tametsi (vt dixi) vñenata & impia. At nunc ille feruor in nostra Anglia & alibi (vt audio) vehementer deseruit; eiisque loco homiliæ quædam ex codice leguntur. Denique si tot seculis hic nouus seu Caluinismus seu Lutheranismus templo occuparet, quot à Catholicis occupata fuerunt (quod nunquam futurum aperte in Scripturis promissiones certum nobis faciunt) quis dubitat in altissimum somnum præsentem concionandi ad docendi feruorem non secus desitum? Non est ergo quod Caluinus de suis tam feruidis initijs glorietur, aut aliquem in opere tam longo somnum, tot, inquam, seculorum, Ecclesiæ Dei obrepisse declamitet.

## IN LVCÆ CAP. 6.

35. *Mutuum date, nihil inde sperantes.*

**A**B omnibus ferè theologis hæc sententia contra usuras quæ ultra sortem ex precepto mutuo capiuntur, applicatur: vt in ea consilium sit ac præceptum. Consilium quoad mutuum dandum, præceptum vero quoad nihil ultra sortem ex mutuo sperandū: Nihil, inquam, quasi debitum ratione mutui: gratuitam tamē beneficentiam posse sperari: sed tanquam gratuitam, non tanquam debitam, ne & ibi aliqua sit usura mentalis. Quibusdā tamē visum est, vt post Erasmus Cornelio Iansenio, usuras hoc loco à Christo directe non interdicí, utpote quæ in veteri lege prohibitæ fuerant. Caluinus ultrà progressus ait. *Hæc sententia perperam restituta fuit ad usus*

K k 2 145.